UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomvs ...

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam interpretis donatus

Peregrinvs terræ. Fascicvlvs Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

Caraffa, Vincenzo

Coloniae Agrippinae, 1660

Intrepidus in sperando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49469

Visual Library

quia ubi regnat Amor Dei, non regnat peccatum. Eſt *odor vitæ in vitam*: quia dat vitam ſpiritui. Nam ſpiritus amore vivit, amore nutritur. O amorem odoriferum, odorem vitæ in vitam, odorem vitæ, qui dat vitam & veram, æternam vitam!

CONSIDERATIO XXVI.

AMOR DEI,

Intrepidus in ſperando.

NOn timet Sanctus Amor, neque diffidit de præmio propter ejus magnitudinem: quia confidentiæ [...] gnitatem pretij, teſte Bernardo, *ſ. 16. in Cant.* Si interrogeris, quanta ſit gloria cœleſtis, responde, Infinita. Infinitus ergo eſt etiam valor ac pretium.

Ad emendam gemmam pretioſam duo tantùm ſunt neceſſaria; Pretium æquivalens, & ut hoc noſtrum ſit. Neutrum horum deeſt nobis ad comparandam gemmam gloriæ: quia pretium Sanguinis, & mortis Chriſti eſt infinitæ dignitatis; & eſt noſtrum, nobis datum ac donatum. *Filius datus eſt nobis. Iſai. 9. Nemo igitur deſperet: nemo dicat, Ibi non ero, Habemus ſanguinem Chriſti, habemus mortem Chriſti,* ait Auguſtinus. Nemo cauſam habet minùs certò, & ſecurè ſperandi gloriam æternam: quia Sanguis, & Mors Salvatoris ex noſtra parte ſecuros nos reddit. *Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo* eſt tota mea ſpes ac fiducia. Spero per ipſum, propter ejus merita: ſpero cum ipſo, per ejus auxilia: ſpero in ipſo fieri beatus, in ejus aſpectu.

Quid mirum, ſi intrepidè incedas, Amor Sancte? Victoria tua eſt, corona in manibus tuis. Videor mihi jam audire applauſus, & lætas invitationes Civium cœleſtium, qui te vocant, & invitant ad gaudia æterna. Ama; anima mea, ſpem tuam. *Spes noſtra Chriſtus. Coloſ. 1.* ama tuam fiduciam. *Fiducia noſtra Maria* dicunt Auguſtinus & Bernardus. Ama JESUM, ama